1949 1742 2174.

Q. D. B. V.

AVSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

SERENISSIMI DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

PRINCIPIS REGII ET ELECTORATVS SAXONICI HEREDIS ETC.

DISPVTATIONE SECVNDA

EXISTENTIAM SPECTRORVM,

ex

Sagarum veneficarumque pactis cum daemone ſancitis,

declarabunt

PRAESES

M. GVSTAVVS FRIDERICVS PISTORI,

END. SAX.

ET

RESPONDENS

IOANNES BENIAMIN. Horn

GOTTLAVIENSIS MISNICVS.

Anno MDCCIII. D. XVII. Novembris.

Horis conſvetis

IN AVDITORIO MINORI.

VITEMBERGAE, Prelo GERDESIANO.

7202 16 26. 77.

I. N D. N. I. C. A.

Quod DEus felix fauſtumque eſſe iubeat.

THES. I.

Aturam in profundo veritatem penitus abſtruſiſſe, rectiſsime docuit *Democritus*, hanc igitur vigilantius inquirere, inveſtigare, et rimari decet. Id ſiquidem cum maiori aequitate coniunctum eſt, quam ſententiam, quam temere quis amplexus, pertinaciter defendere. In hanc igitur ſententiam ulterius inquirere, an ſint ſpectra, et daemonum cum mortalibus pacta? aequum erit, operaeque pretium fore exiſtimamus. Quanquam iam antea a nobis exiſtentia ſpectrorum demonſtrata, diverſis quoque argumentis firma reddita fuerit, eam tamen prolixius tanquam neceſſariam ac utilem materiam tractare conſtituimus. Hac enim de re ita ſentit *Lutherus* cum ſuper *cap. XIV. Luc.* inter alia ſcribit: *De ſpectris docere neceſſarium eſt et utile, ut ſciamus, nos non ſolos eſſe, quaſi diabolus ultra centum milliaria a nobis ſeparatus verſetur, undiquaque circa nos eſt, et lar-*

vas ad terrendum nos induit. Neceſſaria igitur huius materiae tractatio eſt, ut credamus diabolum ſaepius aſpectui noſtro ſe ſubiicere, modo hac, modo illa forma, ſicut etiam angeli (diſſimili tamen modo et fine) faciunt. Cum autem in *praecedenti i. noſtra diſſertatione* promiſerimus, quaedam in medium proferre, quae et exiſtentiam ſpectrorum, et pacta hominum cum daemone ſancita demonſtrant, itaque promiſſis ſtare noſtrarum eſſe partium duximus, idque in ſequentibus probare et oſtendere operam navabimus.

THES. II.

Materiam illam, quae de ſpectris et ſagarum pactis agit certiſſimam eſſe, plurimi viri eruditi teſtantur, vid. *Scherezius in tract. de ſpect.* Hiſtoria gentilium quoque comprobat, quod non omnia, quae de ſpectris dicuntur, falſa et figmenta ſint. Spiritus enim et ſpectra interdum apparent. Quanquam non negamus, quod homines melancholici, furioſi, timidi, et imbecillibus ſenſibus praediti multa ſibi imaginentur, quae revera non ſunt, item ab hominibus et brutis animantibus ſaepe decipiantur, quod et antea a nobis declaratum fuit. Certum tamen eſt, quod non omnia, quae hominibus apparent, ſint res naturales, aut vana terriculamenta, ſed verae diabolicae apparitiones. *Svetonius Tranquillus* teſtatur hoc, de Iulio Caeſare ſcribens, quod illi cum ex Gallia in Italiam cum exercitu proficiſceretur, iamque ad Rubiconem fluvium perveniſſet, et animi dubius eſſet, tranſire fluvium vellet nec ne, quendam eximia magnitudine et forma in proximo ſedentem arundineque canentem ſubito apparuiſſe, ad quem audiendum cum praeter paſtores, plurimi etiam milites concurriſſent, interque eos et aeneatores (h. e. tubicines ab aeneis tubis ſic dicti) rapta ab uno tuba proſiluiſſe ad flumen, et ingenti ſpiritu clasſicum exorſum, tetendiſſe ad alteram ripam: tum Caeſarem dixiſſe, eamus quo Deorum oſtenta et hoſtium iniquitas nos uocat. *Plutarchus* itidem eiusmodi apparitionem *Theſei* in pugna Marathonica contra Medos narrat,

narrat, ut et *Pauſanias*, *Dio Caſſius*, *Nicaeus Rom. Hiſtor. Lib. LV.* ſcribunt: quod femina quaedam, humana quidem ſed maiori forma, Druſo apparuerit, vitaeque terminum indixerit. *Plin. Lib. II. Novocomenſis Lib. VII. epiſt.* eiusmodi exempla plura adducit.

THES. III.

Exiſtentiam Spirituum ipſi effectus daemonum probant, qui luculenter in obſeſſis hominibus obſeruantur, in oraculis, in admirandis praeſtigiis et ſpectris. Saepe enim homines obſeſſi idiotae, lingvis peregrinis loquuntur, nec non de rebus alias incognitis. Exinde vis ingens et potentia magna daemonum elucet, eructant eiusmodi homines crebro blasphema, et mendacia horrenda, en iam unde oriuntur eiusmodi blasphemationes, et locutiones peregrinae? hoc itaque certum eſt: hominem non eſſe cauſam, cum ſupponatur idiota, lingvarumque peregrinarum ignarus, eiusmodi enim facinora et effectus ſuperant omnino et excedunt longe humanas vires. Gentilium oracula ſive e ſimulacris, ſive e terrae cavernis edita, eſſe ſpiritus luculenter demonſtrant, his accedunt et merito annumerari debent, admirandae praeſtigiae et ſpectra daemonum. *Cyprianus* probat *Platonem* poſt *Socratem* una cum magis antiquiſſimis angelos et daemones eſſe aſſeruiſſe vid. *Scharf. lib. I. pnev. cap. II. pag. 343.* Omnes porro philoſophi ſaniores concedunt ac ſtatuunt adhuc alios eſſe ſpiritus, praeter hominis animam et DEUM. Vero ſimile porro eſt, DEUM cum corpora et alias res viliores conderet, etiam addidiſſe angelos, tanquam nobiliſſimum ſui ſpeculum, in quo ſcilicet tot divinæ perfectiones reluceant, vid. *Svaretz. diſp. metaph. XXXV. ſect. I. Scheibl. tom. II. metaph. Lib. II. cap. IV. art. II.* Ceterum quilibet facile concludere poterit, ſi datur ſpiritus incompletus, etiam datur completus, quoniam nihil imperfecti poteſt ultimum gradum creaturarum

rarum absolvere. Ergo adhuc concedendus erit alius spirituum gradus completorum et perfectorum.

THES. IV.

Quoniam demonstratum fuerit, esse spiritus et daemones, porro exinde fluit, non impossibile fore malo genio corpus quoddam assumere, uti hoc in *praecedenti disp. §. X. XI. seqq.* probavimus. Non enim tam magna requiritur potentia ad assumendum corpus. Diabolo quidem non difficile est variis speciebus demortuorum, item quod minus est, etiam quadrupedum; avium etc. veluti in specie nigri canis, equi, bubonis, apparere. Nam per diuturnam et multiplicem experientiam vim et effectum rerum naturalium, veluti herbarum, lapidum etc. cognitam habere potest, et his rebus miranda operari facta. Est quoque subtilis et expeditus spiritus, qui res commode aggredi potest, id quod in re quavis non parum momenti affert. Hoc *Wierus Lib. V. de curat. laes. malefic. cap. XXX.* testatur, cum historiam de *Antonio Aegyptiaco* enarrat, haecque legi potest in vita *S. Antonii* ab *Athanasio* descripta, et e Graeco per *Evagrium* presbyterum translata. Et hoc verissimum est, quaedam spectra certis temporibus familiariter cum hominibus conuersari, interdum videnda quoque se praebere, forma tamen minus horrida, saepius conclavia scopis purgare, orbes in culina et patinas mundare, ligna apportare, equos curare, capillis dormientium ludere, et hi spiritus sunt qui a Germanis die Güthgen appellantur. vid. *Scheretz. in tract. de spect. Wierus* hoc quoque demonstrat *lib. 1. de praest. daemon. pag. 117.* ita enim scribit: *familiares quoque referuntur daemones, privatorum hominum se nutum observare simulantes.* Hos spiritus malos per magos omnino citari posse putamus, non quod verba a magis aut aliis peculiari modo recitata, vel characteres, per se vim arcanam haberent, est enim ethnica superstitio. Gentiles crediderunt quod conceptis verbis Iovem e coelo deducere

aut

aut elicere posſint, unde et Elicium nominarunt. *vid. Lud. Lavaterus in tract. de ſpect.* Fit tamen cum citatur daemon ut appareat, quo magi in ſuperſtitione et impietate firmi reddantur, et ad peccata ſumma horrendaque illis anſam praebeat. Hunc modum citandi daemones declarat *Wierus pag. 931.* quod tunc quoque mortales cum illo pactum ſancire valeant iam in antecedentibus probavimus. Mulieres vero ab initio ad veneficium fuiſſe procliviores viris, gravisſimi teſtantur auctores, multo enim facilius daemoni eſt, ei ſexui fallaciam intendere vid. *Barbelina Rayel. Torquemadius. Fabius in declam. Diodorus Lib. V. de antiquorum geſtis.* Apud *Romanos* feminae veneficiis primum uſae ſunt teſtante *Liv. lib. VIII. ut et Valer. lib. II. cap. XVI. tit. de inſtitutis antiquis. Auguſt. lib. III. de civ. Dei cap. XVII. Plin. lib. XXV. cap. II. hic cit. loc. ſcribit. Feminarum ſcientiam in veneficiis praevalere.* Conſuli porro poteſt *Horatius* hac de re, ille enim multarum ſagarum praecipue vero *Canidiae*, quam et *Gratidiam* nominat mentionem facit, virorum neutiquam. Quin et apud alios autores et ſcriptores, plures etiam alias ſagas harumque nomina et facta reperiet B. L.

THES. V.

Quod autem ad ſpectra, et pacta diabolica pertinet, non plane ſunt, qui illa velint negare, pro meris phantaſmatibus ſeu otioſae phantaſiae figmentis ea habentes: quos inter etiam egit, magni alias nominis philoſophus *Petrus Pomponatius.* Quales doctrinas hodie quoque longe plurimi ex Atheorum ſchola profecti fovent. Quamvis enim prima fronte videantur iſtae doctrinae non adeo periculoſae, rem tamen recte ponderantibus, facile apparet tanto magis impias iſtas opiniones cavendas eſſe, quanto minoris a quamplurimis aeſtimari ſolent. Quomodo vero, quaque ratione iſtiusmodi genii ſibi corpus aſciſcere posſint, non licet plene nobis aſſequi, certisſimum tamen eſt, quod Satan omnino corpus aſſumere posſit. Et hoc infantes ſup-

po-

posititii testantur, qui vel ex sangvine, vel alia materia efformati ac producti, a daemone ipsiusque praesentia moventur ad illudendum homines. vid. *Vogtius in delic. Phys. cap. VIII. membr. IV. pag. 270.* Nemo porro qui naturam spectrorum penitus considerabit, negabit, quod corpus ad certum quoddam tempus assumere valeant. Quanquam non semper in eiusmodi ficto corpore sese praebeant conspiciendos daemones, sed non raro cadavera intrent, et cum illis sese ostendant vid. *Lud. Lavat. part. II. de spect. pag. 174.* Et spectra haec sunt, quae in domibus inhabitatores formis variis, viri proceri, monachi cucullati, feminae peplis confectae, canis nigri et pilosi etc. terrent. *Wierus. lib. I. de praestig. daemon.* ostendit quod Satanas et malus genius conspici possit ut et *Vincentius, Sigebertus, Hieronymus*, multique alii, non quatenus spiritus sit, sed in assumpto corpore.

THES. VI.

Siquidem in antecedenti dissertatione probatum dedimus, esse omnino pacta quorundam hominum cum daemone, actum igitur ageremus, si eadem hic repetere vellemus. Iam itaque quaedam; quae homines pacto cum diabolo inito ipsius auxilio et ope efficere possunt, demonstrabimus. Manifestum procul dubio erit omnibus, diabolum multa, non vero omnia posse, nam huic spiritui malo certi a Deo limites et metae positae sunt, quousque illius actiones DEUS tolerare vult, sine permissione DEI enim, ne in bestias quidem aliquid potest, multo minus in homines. Nunquam autem daemoni in homines quicquam a DEO concederetur, nisi ut vel probentur, si boni sunt; vel castigentur punianturque si peccatores, praefixis terminis, ultra quos ferri non sinitur. Hoc testatur *Clemens lib. II. Recog. Theodoret.* cum ita loquitur: *Vt infideles a fidelibus, et pii discernantur ab impiis, permissum est maligno, uti artibus malis, quibus singulorum erga verum parentem probetur affectus.*

Et

Et admodum elegans ſententia *Gregorii* eſt, quam profert *lib. 2. Moral. cap. VI. Satanae voluntas ſemper iniqua eſt, ſed nunquam poteſtas iniuſta, quia a ſemet ipſo voluntatem habet, ſed a domino poteſtatem, quod enim ipſe facere inique appetit, hoc Deus fieri non niſi iuſte permittit.* Quam ſaepiſſime vero accidit ut homines a diabolo aut eius mancipiis illudantur, quando nimirum quicquam efficere aut praeſtare debent. Nam multa, quae tanquam vere geſta, hactenus diabolo et ſagis attributa fuerunt, ut fraudulenta aut praeſtigioſa, vel non eo quo apparuere modo revera exiſtentia cognoſcuntur.

THES. VII.

Exinde ſequitur, lamias non omnia, nec quae ipſae efficere credunt, praeſtare valere. Concedimus libenter daemonem nonnunquam veneficas fallere et illudere. Plurimi enim, fideque digni viri hoc affirmant, nam quam ſaepiſſime lamiae putant ſe fuiſſe in monte Bructero vel alibi, cum tamen domeſtici optime ſciunt, has tunc temporis, hacve hora, domi fuiſſe. Sunt aliqui, qui aſſerunt homines a daemone in lupos mutari poſſe, hoc autem falſiſſimum eſt, minimeque credendum arbitramur. Arcades quidem a daemonibus in lupos converſos et mutatos fuiſſe dicuntur, et quod *Circe* carminibus ſuis, ſocios *Vlyſſis* in animalia irrationalia mutaſſet, a quibusdam fertur. Res vero haec fabuloſa eſt, idque quod de ſociis Vlyſſis narratur poetarum commentum potius appellandum cum *Plinio* exiſtimamus. *Hic lib. VIII. cap. XXII.* ita hac de re ſcribit: *homines in lupos verti, rurſumque ſibi reſtitui, fabuloſum eſt, confidenter exiſtimari debere, aut credere omnia, quae fabuloſa tot ſeculis credimus.* Quomodo enim mille artifex ſubſtantiam hominis mutare poſſet, non perſpicimus. Diabolum vero formam huius animalis praeſentare poſſe, mancipiisque ſuis perſvadere, ſe eſſe lupum, aut aliud animal irrationale, revera autem non ſunt, libenter affirmamus. Cum vero eiusmodi narrantur exempla,

quod cum lupi illi vulnerati fuerint, quoque homines illi, qui se fuisse lupum istum arbitrati sunt, vulnus in se invenerunt, hoc certe astutia et celeritate diaboli esse adscribendum, quilibet affirmabit. Hic enim eiusmodi hominem cui persvasit esse vel fuisse lupum celerrime subiicit venatoribus, vel aliis insidias struentibus, ut arbitrentur, se videre lupum, quod tamen minime verum est, et ita praestigiis celeritateque sua efficit, ut homo videatur lupus, et vulneretur. Daemonem quoque non raro lupum praesentare, quem homines, sagam vel lamiam esse putant, certum est, hocque testantur *Petronius Armentarius, Ioannes Malrisius, Barbelina Rayel, ut et Remigius lib. I. Cap. XXIII. pag. m. 155. Augustinus lib. XVIII. de civ. Dei et lib. III. de Trinit.* eos graviter et severe reprehendit, qui credunt daemonum arte, vel potestate, hominis corpus in bestialia lineamenta posse converti: siquidem soli Deo, non vero transgressoribus angelis, ad nutum servire hanc rerum visibilium materiam. Haec etiam sententia plerisque ethnicis semper alienior visa est, inter quos *et Plin. lib. VIII. cap. XXII. Olaus Magnus videri potest in hist. de gent. septent. ib. C. XIV.*

THES. VIII.

Quam falsum vero est, quod homines a Satana in lupos aut animalia irrationalia mutari queant, tam verum esse putamus, quod ope venificarum vetularum, homines spectris Satanae ad alios homines noctu duci, et reduci possint. Hoc tamen spectrum in forma hirci apparere, et per aërem volare solet. Exempla huius excoecatae temeritatis profecto non adeo sunt rara in quibusdam locis, talia autem apponere noluimus, quoniam ubique fere narrantur et leguntur, quod nimirum multi, eiusmodi spectro hircino, per aliquot milliaria noctu ad amasias sint portati et reportati. Quin et exempla adsunt, quosdam invitos ex lectis ab hirco esse abreptos, et tamen reductos vid. *Scherertz. in tract. de spect.* Eiusmodi apparitiones omni-

omnino veneficae efficere valent certis quibusdam verbis, characteribus, vel ceremoniis, non vi et efficacia quidem verborum recitatorum, sed eam ob causam apparet malus genius, ut homines eiusmodi magis magisque in superstitione et detestanda impietate confirmentur. Abutuntur fagae nominibus divinis ut et verbi divini. vid. *Wierus lib. V. de curat. laes. malef. pag. 514. et Cardanus de subtil. lib. XVIII.* A nonnullis porro quaeritur, an daemones, quando corpus in alium locum transportant, quoque corpus aliquod assumpserint? *Thomas* hoc concedit, quo daemon naturaliter hominem transportaret, nos vero putamus non semper malum genium corpus aliquod, sed tantum interdum assumere. Si enim teste *Augustino lib. XIII. de civ. Dei* angeli boni hoc facere possunt, ut quaedam animalia terrestria rapiant, unde libet, quare et hoc daemon non praestare posset. vid. *Wierus lib. III. de lamiis.*

THES. IX.

Omnibus fere notum erit, homines quosdam, qui cum daemone pactum iniverunt, non raro morbos curare solere. Curationes autem istas magicas, superstitiosas, et impias esse unusquisque fatetur. Utuntur enim magi et fagae plerumque verbis ignotis, et carminibus, nonnunquam per periapta, characteres, effigies, annulos, et sigilla sanare solent aegrotos hi daemoni dediti mortales. Parvi vero momenti sunt, manu efficti characteres, effigies, annuli, et sigilla, hac illave figura delineata, sculptave, vel imagines ad certos coeli positus, hoc momento, et illo loco insignitae. De his et similibus vid. *Agrippa de occult. philos. lib. I. c. XXIII. lib. III. c XXIX. XXX. XXXI.* Quid vero eiusmodi characteres efficere possunt? sunt enim dolosa mente excogitati, quorum virtus nulla est. At nomina nec *Arabica*, nec *Chaldaea*, nec *Hebraea*, nec *Graeca* sunt, quod si etiam essent, quid plus iis inesset virtutis, quam *Latinis*, ergo figmenta mera esse oportet, nulliusque virtutis, quam si concedas obtinere, non nisi daemonum pacto fieri pot-

est. Quis enim has res invenire valuit, nisi daemon persvasionibus. Falsa itaque haec est opinio quod magi morbos quosvis sanare valeant. Concedimus vero, quod omnino Satanas permittente Deo mederi morbis queat, quorum ipse autor est, fictam tantum, simulatamque tunc exhibere curationem. Eiusmodi enim fallaciis, fraudum magister mortales defraudare studet, quo a mancipiis suis, divino cultu et honore dignetur. Recte itaque *Rabbi Moses ille Aegyptius lib. I. perplexor. cap. LXXII. mendaces et stultos esse affirmat, qui soli figurae, soli scripturae, solis lineamentis, solis denique vocibus, tantam miraculorum vim et potestatem tribuerent. Aelius Spartianus* non temere Antonium Caracallam eos condemnasse statuit, qui contra tertianas et quartanas febres periapta gestarent. Omnes porro curationum modos, ut superstitiosos reiecit *Augustinus* sequentibus verbis: *Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominibus ad facienda et colenda idola, pertinens vel ad colendam, sicut Deum, creaturam, partemve ullam creaturae: vel ad consultationes vel pacta quaedam significantium cum daemonibus, placita atque foederata: qualia sunt molimina magicarum artium, quae quidem commemorare potius, quam docere solent poetae. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, haruspicum et augurum libri.* Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturae, atque remedia, quae medicorum quoque disciplina condemnat, sive in praecantationibus, sive in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis aut ligandis: in quibus omnibus ars daemonum est, ex quadom pestifera societate hominum et angelorum malorum exorta.

THES. X.

Non ignoramus adhuc a nonnullis in dubium vocari, an etiam sagae et personae illae, quae societatem detestandam cum Satana habent, ad solemnia sua conventicula, quae sabbata vocant, transportari queant? et nonnunquam realiter transferantur. Concedimus atque probabimus

bimus quod omnino fieri posſit, licet multi reperiantur hanc theſin negantes, in quorum numero ſunt: *Alciatus lib. VIII. Vlricus Molitor de Python. mulier. cap. VIII. Franciſcus Samuel. Minorita integro libro. Ponzinibius, Wierus lib. III. de praeſtig. daemon. c. II. Agrippa. Godelmannus. Martinas de Arles. Michael Montanus. Leonhard. Vairus. lib. II. de faſcino c. XIII.* Hi multis argumentis et quidem probabilibus hanc ſuam ſententiam negativam tueri operam dant. Cum vero his affirmativam ſententiam probantes opponuntur, apparet quod omnino theſis noſtra vera ſit. Sunt vero nobiſcum conſentientes ſequentes: *Nicol. Remigius lib. I. daemonolat. cap. XIV. XXIV. XXIX. Penna in direct. inquiſit. p. 2. commat. 68. Turrecrema ſuper Grilland. lib. II. de ſortil. quaeſt. VII. n. 8. Autor mallei pasſim. Baſinus de arte magica prop. IX. Barth. Spinaeus contra Ponzinib. Alfonſus a Caſtro lib. I. de iuſt. haereſ. punit. cap. XVI. Ananias lib. IV. de nat. daemon. Martin. Del-Rio diſq. mag. tom. I. lib. II. quaeſt. XVI. p. 345. ſeq. Antonius de Torquemada Dial. 3. Hexaem. Schottus Phyſ. curioſ. Balduinus in caſ. Conſcien. Dannhauerus exercit. Ethico-Polit. V. p. 86. Libavius* multique alii. Ex his omnibus apparet et quilibet colligere poteſt, nonnunquam transportationem illam ſagarum veram eſſe, interdum quoque phantaſticam.

THES. XI.

Principium huius transportationis principale eſt ipſe daemon, qui ſua mancipia ad nocturna illa conuenticula transvehit. Hunc autem non daemonem, ſed potius Magiſterulum, vel Martinettum, ſive Martinettura ſagae appellare ſolent. Variis quidem mediis utuntur, ut ad comitia illa perveniant, qualia ſunt: incantationes variae, circuli et figurae, applicatio manus ad crines, pilei aut pallei poſitura, unctio, aliaque huius generis. Hae ceremoniae ſuperſtitioſae, rectisſime principium minus principale nominari queunt. Vngvento vero praeprimis utuntur artis magicae deditae mulieres, cum adeſſe comitiis nocturnis cupiunt. De hoc vero ungvento notandum eſſe putamus, quod confi-

ciatur ex adipe felis, canis, asini, aut lupi. *test. Remig. lib. I. daemonolog.* sed potissimum ex infantis occisi pingvedine. Hinc Satanas insidias infantibus struere solet, imo nonnunquam eos permittente Deo suffuratur, postea vero ministris suis ad excoquendos vel comburendos, ad magicas artes concedit. Si itaque sagae corpus de loco in locum realiter transferre cupiunt, hoc ungvento crura, vel alia corporis membra illinere solent. Non vero putandum est ungventum illud ad realem corporum translationem simpliciter esse necessarium, aliquoties enim sine eiusdem usu, sagas alio esse devectas constat vid. *Auct mirabl. mystr. c. III. p. 21. it. Bodinus.* In phantastica autem repraesentatione, in nomine omnium diabolorum obdormiscere sagae dicuntur, et tunc per somnium intersunt conventibus, cum deinde in sinistrum latus se collocant. Modus etiam huius transportationis duplex est imaginarius et verus. Imaginarius itaque est, cum auxilio daemonis per imaginationem seu phantasiam ipsis sagis repraesentantur, quae in conventiculo aguntur, etsi illae domi alto somno sepultae considerantur. *test. Iamblico de myst. Aegypt. cap. de intellectu et anima.* Verus autem modus est, quando sagae in altum ad sabbata sua celebranda tolluntur.

THES. XII.

Nos dum conventum sagarum realem quandoque asserimus, sagas totas et qua animam et qua corpus in alium trensferri locum statuimus. Reiicimus vero hanc sententiam, quod animae sagarum ex corporibus illarum eripiantur. Haec ereptio plane huic spiritui malo impossibile est, involvit enim veram e mortuis resuscitationem, sequeretur quoque si Satanas sagarum animas eriperet e corporibus, quod postea re vera anima iterum cum corpore reduniri deberet, quod autem hoc daemoni minime tribui possit censemus. Diabolus est causa finita, effectus vero hic est infinitus, et ita minime rem infinitae virtutis efficere valet, nam ereptio animae infert mortem, redunitio vero vitam.

THES. XIII.

Non ſemper realem hanc eſſe migrationem optime notum nobis eſt, haud enim ignoramus ſagas de conventibus daemoniacis aliquando ſplenditisſime nugatas, locutasve eſſe, cum tamen domi in ſuis iacuerint cubiculis ſomno oppreſſae vid. *Paul. Grilland. D. Carpzov. in prax. crim. part. I. quaeſt. 481. 27. item Lutherus Tom. I. Ien. fol. 126. Anton de Torquemada lib. I. p 349.* Veram autem transportationem poſtibilem Satanae eſſe ſtatuimus, non enim illius vires excedit, itaque ab illo fieri poſſe probabile eſt vid. *Thom. part. I. ſumm. quaeſt. 100. art. 3. quoad motum localem omnia corpora obediunt ſpiritibus completis, diabolus* autem ſpiritus completus eſt. Eandem porro cum bonis angelis daemones potentiam habent, ſi enim angeli boni, ea praediti ſunt virtute, ut corpora de loco in locum transferre poſſint, nil impedit, quo minus et diabolis ea poteſtas in ſagarum corpora competat. Conveniunt ſpiritus boni et mali in eſſentia, ergo quoque in naturali potentia, eſſentiam conſequente. Hanc transportationem igitur malus genius facile efficere poteſt, robuſtior eſt is quovis corpore humano, et quanquam poſſibilitatem ſuam monſtravit in uno et altero, cur non idem poſſet in ceteris, quae cum prioribus eiusdem ſunt ponderis et magnitudinis. Tametſi quidem modus angelicus movendi corpora, penitus nobis non ſit perſpectus, certum tamen eſt, quod ab ignoratione modi ad negationem rei non valeat conſequentia.

THES. XIV.

Cum vero ſagae in conventiculis ſuis ab aliquo videntur, evaneſcere dicuntur, quod vero hic non vere et proprie accipiatur vocabulum evaneſcere putamus. Nam evaneſcere non poſſunt ſagae quae conventui interſunt, ſed tantum a daemone celerrime abripiuntur, et ſic diſparuiſſe dicuntur, late accepto vocabulo, pro deſierunt videri. Natura incorporea ſpiritus eſt daemon, ſubito, ubicunque vult, adeſt, nullo alicubi prohibente, eam ob cauſam quam facillime corpus e conſpectu cuiusdam abripere valet. Locus vero in

quo

quo ſabbata et conventicula ſua celebrant, in diverſis regionibus diverſus eſt; plerumque tamen comitia in ſylveſtribus, montanis, ſubterraneis, ab hominumque converſatione diſſitis locis habentur *Mela lib. III. cap. XLIV.* montem Atlantem nominat; *de Vaux* magus Staebuleti de collatus, faſſus eſt 1603. in Hollandia congregationem in Vltraiectinae ditionis aliquo loco frequentiſſimam fuiſſe. Nobis vero ab hoc conventu notus ac notatus mons Bructerorum qui ab aliis Melibocus vocatur, vulgo der Blocksberg / oder Heweberg / *Peucero* der Brockersberg / et *Tilemanno* Stellae der Vogelsberg / perhibente Ortelio in theſ. geograph.

THES. XV.

Ceterum quod daemon cum ſagis generare poſſit veros infantes negamus. Congredi quidem Satanam cum ſagis, interdum realiter, interdum vero phantaſtice concedimus. Ad verum congreſſum requiritur corpus, cum vero diabolus nullum proprium corpus habeat, congreſſum in aſſumpto corpore exercet. Concedimus quoque diabolum poſſe generationem imitari, dum utrum ſagarum inflat, ex ſemine et ſangvine materno corpus elaborat, ex eoque loquitur, et ubera ſugit, ſed quod verum hominem generare poſſit in totum negatur. Quia enim ſpiritus eſt non ipſi competit ſemen nativum, nec minus generatio. Cum vero dicitur, quod infantes ſuppoſititii vivant, tunc omnino ſcimus daemonem accidentaliter tanquam forma aſſiſtens, qualis auriga eſt in reſpectu ad currum, hoc corpus dirigere. Negatur autem quod ſubſtantialiter reformetur a daemone, conceditur quod accidentaliter ei corpori adſit. Hos igitur infantes ſuppoſititios non eſſe veros homines quilibet affirmabit, carent enim anima rationali; forma hominis eſt anima, ſi vero haec tollitur, tunc et formatum. Forma horum infantum ipſe daemon eſt, qui eſt ſpiritus completus, adeoque cum materia tanquam forma phyſica uniri nequit.

FINIS.